

Roberto Bellarmini S.R.E. Cardinali.

Merito libenter amplectimur, quae Ill/mae D.V. placuerunt caussae, Scalae Ascensionis in Deum typis editum et non manuscriptum mittendi: licet Germani alique typographi sibi statim vindicaturi sint, quem Romani priores excuderint libellum. At parvi lucellum facimus: benignum illum veteris cum avo nostro Plantino amicitiae affectum attendimus atque aestimamus, quem ad nepotes singulari cum humanitate transmittit. De characteribus tantum Italicis, bona Ill/mae D.V. venia, operas nostras, saltem correctores excusent, qui difficillime cuilibet scriptioni dudum assuevere. Dena scalae folia jam accepimus, ut reliqua prius expectamus, quam novam inchoemus editionem, ut pro opusculi magnitudine de commodiori forma et characteribus liceat dispicere. Hebraicam ab Ill/ma D.V. conscriptam grammaticam brevi item recudemus: nihil, opinor, in ea additum aut mutatum velit, sin aliter, quaeso admonere, vel per P. Gulielmum, ne gravetur. De Missa S. Angeli Custodis decretum, in occasione expectabo: de quo curando Ill/mae D.V. gratia esto. Nolumus aliquid sacris libris admiscere, a S. Apostolica Sede haud approbatum: etsi Hispani his diebus, missae hujus impressionem, quam nostrae editionis missalibus subjungerent, etiam ab multis impetrarunt, transmissa nobis exemplo, Venetiis edito, quod nonnihil a Germanico, quod ad R. P. Gabutium miseram, differt; ut in specimine his adjecto videre est.

Vale, Ill/me et R/me Domine, et mea fratrisque obsequia et cultum, quem pro benigno affectu reponimus, admitte. Antverpiae, in officina Plantiniana, Prid. Non. Martias, M. DC. XV.